UC 189

7º Legajo núm.º 18.

UC 189

Se me manda Lamentar La perdida tan considerable de la Academia por La Muerte de su tan digno Vice=Presidente el Marques de Lliò, con una

Defletur infausta Academiæ sors ob mortem
Excell^mi D^ni D. Felicis de Mora Mar-
chionis de Lliò ejusdem Vice-Præsidis hac
Elegiâ

Quid juvat incomptas Mœstis adhibere querelas
Ingrataque males accomodare sonos?
Nonne foret satius, letho cum jacet acerbo
Orpheus noster, conticuisse Lyras?
Talia nunc memorans nonne ad suspiria pectus
ad lacrimas iterum lumina, Musa, vocas?
Atque apertis vulnus, cœpit quod tempore claudi,
Et gravius tentas dum renovare facis.
Credideram seros olim mansura per annos
aurea felici stamina ducta colo,
Quodque nitens circum hunc lustrabat lampade sidus
haud unquam radios occuluisse suos.
Rapta nuper quoniam subiti seu turbinis æstu
Vita sua est, quare non licet inde frui:
Quid juvat infandum numeris vulgare dolorem,
Si nulla est gemitu digna querela tuo?
Eheu! qui mores? qui visus amabilis illi?
Qui gratus placido risus in ore fuit?
Heu! quale ingenium felix et ad omnia natum!
Quantaque Doctrinæ mente reposta penus!
Qui scriptis candor? viva que voce venustas?
Copia que rerum? que meditantis opes?
Præsidis et gessit quis unquam munia ut ille?
Corporis ille caput, Spiritus ille et erat.

Et quæcumque viget nostræ nunc fama Palestræ
quibus ab auspiciis coepit ea et viguit?
Lumen ut acceptum referunt astra omnia Phebo,
sic quod habet lucis nostra Minerva suum est.
Consocios sollers omni pro parte juvare
urgere ac stimulis quis valet ut valuit?
Ardua qui melius cultu explanabat amoeno, et
abdita perspicuis pandin ut ille modis?
Quo sale perfricuit fuerant quæ orbata lepore
ut saperent cunctis quæ sapuere sibi?
Quæque solent tradi scriptis commenta quis aptus
detegere hoc cuisi vel meliore fuit?
Præstare ingenio hos nosse, hos ratione carere
laudere qui digni, qui mereantque fidem,
Vidimus, et quantum doctas ornaverit artes
et quam illi foetum Pallade pectus erat
Talis eras Joseph; hæc nunc tua tristis Imago
una super quam non deleat ulla dies.
Hanc dolor, et hanc amor pinxit, quæ credita nobis
abditaque in memori est, semper habenda, sinu.
Isthic vive diu, qui nostra in commoda natus,
Vivere jam nostras incipis in lacrimas.

Barna Abril â 14 de 1762.

Dn Salvador Puig Pbro Capn Mayor
del Palau.

Ad desideratissimum Nrum Vice Præsidem nuper fato functum.

Elegiaca Apostrophe.

Ergone, supremos (dulcis Tibi Marchio) honores

dum pendunt Omnes, Unicus Ipse Negem?

Ipse Negem, tantis dignatus amore et Honore?

Tam cui gratus amor, gratus Honorq; tuus?

Ipse Negem, quem tanta Tui pia Cura fovebat?

Quem tulit huicq; Sinu tam pia Cura Tui?

Ipse Negem, quem Cura tui pleno ubere pavit?

et cui mellifero crescere Lacte dedit?

Ipse Negem, qui ab Amore tuo tot Honoribus auctus?

Quam mihi honorandus! quam mihi amandus eras?

Præcinuisse Alijs (si sors non læva fuisset)

debueram: Cogunt Me Amor, Me et Honor.

Me Amor, Me et Honor, Tibi Reddere Amoris, Honoris

Pensa jubent Cantu: Cantus utrumq; decet.

Cantus utrumq; decet: Sunt Carmina Amori et Honori

debita: Amorq; et Honor Carmina grata docent.

Carmina grata docent. At, si sua Carmina grata,

Me, quæ ingrata forent nonne silere jubent?

Nonne silere jubent insuavia Carmina? Numquid

Urbis delicias Carmen agreste decet?

Num decet, ut tantos inter- Strepere Anser Olores

tentet? dulcisonas Graculus et inter Aves?

Num decet, ut tam multa Locum Philomela Cicada

Cedat? Succedat Sueve, Minerva, Tibi?

Ast, Cedant potius Philomela, ac Culta ~~Cicada~~ Minerva,

Quam vel Anaxarte credar, aut Niobe.

Me in Lapidem riguisse putes, Batt[um]ve silentem

Si Tua Nunc taceam (Marchio) gesta diu-

Quin Batto ac Silice Obstipiorem Corde: Loquaci
Indice, Mercurium prodit Vterq; Suum.
Tu at (Mihi Mercurius) Mihi si Mandatus abibis,
Dicas, plus Mihi viscera dura Mihi.
Viscera dura Mihi ne ergo Reprehendar inesse,
auribus ingratos præstat inire sonos.
Funera Phœnicis Celebrant, et Garrula Cornix,
Insuavis Progne, Nicticoraxq; Gravis.
Occidit ut Phœbus, tristi sonat Upupa planctu,
Stridet Othus, sibilat Noctua, Bubo gemit.
Memnonis ad Tumulum Mœstæ Cecinere Volucres
Heus Turtur, Crocitans Corvus, Alauda piaus.
Eunomi et ad Cytharam querula est affixa Cicada,
perruptæ Chordæ personuitq; vice.
Tu Nostra Phœnix, Phœbus Tu Noster, et inde
Memnon, at in Tumulo, in funere, et Occiduus.
Tu et Lyra Apollineæ Melior (sed falce Resecta
jam Mortis jam) quæ olim Chordula, dulce sonans:
Me, infausta volucrem, querulam, raucamve Cicadam,
Par ergo est, funus Concelebrare tuum,
Vocibus ingratis gratos et promere cantus:
Noctua grata quoq; est, docta Minerva, Tibi.
At, quæ digna Tuis Merito, vice, munere, promam?
quæve tam digno aut funere digna fera?
Dulces exuviæ, dum fata Deusq; sinebant!
blandi adhuc (Heu!) Manes! Mellifluique Cineres!
Quid vobis, vestrisq; loquar virtutibus aptum?
Melliti aut dignum pectore, et ore viri?

Ad desideratissimum Nrum Vice Regem, nuper fato functum, Elegiaca Apostrophe.

Ergone, supremos (dulcis tibi Marchio) Honores
 Dependunt omnes; vnicus Ipse Negem?
Ipse Negem, tantis dignatus amore, et Honore?
 Cui gratus amor, gratus Honorque tuus?
Ipse Negem, quem tanta tui pia Cura fovebat?
 Quem tulit usque Sinu tam pia Cura tui?
Ipse Negem, quem Cura Tui pleno vbere pavit?
 Cui Mellifero Crescere Lacte dedit?
Ipse Negem, Qui ab amore tuo, tot Honoribus auctus?
 Quam Mihi Honorandus! quam Mihi amandus eras!
Praecinuiss[...]us (si Sors non laeva fuisset)
 debueram: Cogunt Ille Amor, Ille et Honor.
Ille Amor, Ille et Honor, Tibi Reddere Amoris, Honoris
 Pensa jubet Cantu: Cantus utrumque decet.
Cantus utrumque decet: Sunt Carmina Amori et Honori
 debita: Amorque et Honor, Carmina grata docent.
Carmina grata docent. At, si Sua Carmina grata:
 Me, quae ingrata forent, nonne Silere jubent? Nonne Silere jubent Insuavia Carmina? Numque
 Urbis delitias Carmen agreste decet? +
+ Num decet, ut tantos inter strepere Anser Olores
 tentet, dulcisonas Graccus et intentus?
Num decet, ut tam Multa locum Philomela Cicadae
 Cedat; Succedat sicve Minerva Tibi?
At Cedant potius Philomela, ac Culta Minerva,
 Quam vel Anaxarete credar, aut Niobe?
Me in lapidem riguisse putes, Battumve Silente,
 Si tua nunc taceam, Marchio, gesta, diu.
Quin Batto ac Silice Obstupiore Corde: loquaci
 Indice, Mercurium prodit ~~[illegible]~~ uterque suum.
Tu at, Mihi Mercurius, Mihi si Laudatus Abibis,
 dicar, plus Illis Viscera dura Mihi.

Viscera dura Mihi ne ergo reprehendar inesse:
Auribus ingrato præstat inire sono.
Funera Phœnicis celebrant Garrula Cornix,
Insuavis Progne, Nicticoraxque gravis.
Occidit et Phoebus, tristi sonat Upupa planctu:
Stridet Strix, sibilat Noctua, Bubo gemit.
Memnonis ad Tumulum Mœstæ Cecinere Volucres,
Flens Turtur, Crocitans Corvus, Alauda piens:
Eunomi et ad Citharam querula est affixa Cicada;
perrupta Chordæ personuitque Vice.
Tu Noster Phœnix: Phoebus Tu Noster, et inde
Memnon: at in Tumulo, in funere, et occiduus:
Tu et Lyra Apollineque Melior, sed falce resecta
Mortis jam, quæ olim Chordula dulce sonans.
Me infaustam volucrem, querulamque raucamque Cicadam,
par ergo est funus Concelebrare tuum;
Vocibus ingratis gratos et promere Cantus:
Noctua, grata quoque est, Docta Minerva, Tibi.
At, quæ digna tuis, Meritis, nece, Munere promam?
Quæne, tam digno aut funere digna feram?
Dulces exuviæ, dum fata deusque sinebant:
Blandi heu! Manes! Mellifluique Cineres!
Quid vobis, vestrisque loquar Virtutibus aptum?
Melliti aut dignum pectore et ore Viri?
Tanto animi, Mentisque apici (per Cuncta Supremo)
Quid non est impar? par ve quid esse potest?
Heu! quam ferale est! tenero quam Cordi et iniquum,
Dicere, nec laudes posse referre tuas!
Heu! nova Materies viri, insuetique doloris
Qua premere haud valeas, dicere quod nequeas!

Heu dolor! heu lingua! heu Cor! quid tentatis inire
Edere quod nullâ jam ratione licet?
Melpomene tragico proclamet Multa Boatu.
Ipsa nec apta feret Carmina Melpomene.
Rursus Aristomici fleat Ipse hęc funera Apollo:
Indigna Hoc Nostrô, Nęnia, Apollo, tua.
Hesiodo Hinc rursus Musę, Charites q; parentent:
Nostro haud sunto pares Pręfica Hesiodo.
Ipsa inopes faciet dicentes Copia verum:
Ne in Mare jam guttam, in nemora ligna ferant.
Quid quod jam nostrô Celebrata hęc funera Pindo,
His prestant, Tibi quę Pindus, Homere, dedit.
Prisca nec, huc veniens, spretis Academia Athenis
Nostra ęquare queat Carmine, dulce Melos.
Ô quam dulce Melos, thręnis, elegisq; fluebat!
Melleus Hic factus, dulcis & Ipse dolor. Haud
Transmittunt seclis Heliconia Mella futuris
Hyblęę, Hic Nutrit quas Academus, Apes.
Quid mirum! ducis Ipsa sui dum funera ducunt,
Cunctę alveâriis Apes Mella vorata vomunt.
Mella vorata vomant Academi Ergo attica apellę,
~~Ducunt~~ (ducunt) dum Nostri funera grata Ducis.
Dulcia jam dulci, Melliq; Rependere Mella,
discant, Cui debent quos didicere favos.
Quos ore favos Dux protulit Ipse peremptus!
Mella dabat Cunctis, spiculo at Ipse Carens.
Pindarus, Ambrosiusq; novus, Plato & Ipse novellus
Cuiusq; Plato, Pindarus, Ambrosius.
Quos de Rore Poli, genitus vix ore Recepit,
Corde, opere, & semper Rettulit ore favos.

Eja, age, Macte Animo, gener ergò Academice: nostro
Mellatae ferte Duci, è floribus hausta suis.
Hausta suis, omnes, virtutū è floribus (in queis
Lilia mixta Rosis) munera ferte Duci.
Cecropio atq[ue] Duci (coluit qui mellea Athenis
Munera, apumq[ue] domos) Aristeo Aristomeni
Cerea fert Apes ipsas Cenotaphia quondā
Struxisse, ac gratâ rite sacrasse Manu:
~~Pectoribus~~ vr̃is, Cenotaphia Cerea Cuncti,
(Liquat dū Cera Cordis, ut ignis, amor)
~~Illita~~ Melle novo, Eloquij affectusq[ue] perennis,
~~[illegible]~~ Instruite, ac Dno Vitè sacrate Duci:
Mausòlo melius (quod pectore condidit Uxor)
Pectore sic vr̃ò, condite, habete Ducē;
Sic vivô vivus spirabit et ipse sepulcrô,
~~[illegible]~~ et quamdiu Nobis spiritus ipsi aderit.
Quaeretis forsan, quâ arte ac ratione queatis
Pantheon ~~hoc~~ hoc mythicū condere, ad instar Apum
Condere perceptis, ritè ac disponere molē?
En, vobis Nemesis suggerit, immo ~~dabit~~
Cenotaphiū Ideale, aut Pantheon mythicū, à sacrâ ac Divina
Nemesi, in pectorib[us] vr̃is, typico opere ~~[illegible]~~ spiritaliter erigendū.